Dr. A. 434

DE CULTUS NEXU ET DISCRIMINE SCIENTIARUM NATURALIUM ET MEDICARUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE XXIII. M. MAII A. MDCCCXXXIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

ADOLPHUS MOSER

BEROLINENSIS.

ROYAL·COLLEGE·OF·SURGEONS·OF·ENGLAND.

OPPONENTIBUS:

M. BASCHWITZ, MED. ET CHIR. DR. PRACT.
ALB. HEYDEMAN, INSPECT. GYMN. FRIDR.-GUILELM.
J. PHILIPP, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXPERIENTISSIMO, AMPLISSIMO

J. J. WOLFF,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, REGI A CONSILIIS INTIMIS,

HAS

QUALESCUNQUE STUDIORUM
PRIMITIAS

ANIMO GRATISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

§. 1.

Doctrinae de rerum natura diversus inter doctrinas locus a philosophis et viris, qui physicae in specie operam navarunt, ex ratione quam in disciplinis distribuendis secuti sunt attributus est.

Aristoteles hoc fere ordine de diversis disciplinis disseruit, primum de scientiis ad res logicas spectantibus disputat, quae, cum caussas rerum contineant, ad reliquas doctrinas adplicantur: tum res naturales exponit, in quibus perscrutandis exemplum omni tempore summa dignissimum laude reliquit; denique in iis disciplinis describendis versatur, quae ad res physicas, politicas, oeconomicas, rhetoricas, poëticasque pertinent, id est, ad eas res, in quibus definitiones logicae, in scriptis logicis abstracte, ut dicunt philosophi, propositae applicantur. Quem fugit mira illa similitudo, quae inter hanc litterarum distributionem intercedit, eamque quae a praeclaro recentiorum temporum philosopho proposita est?

Baco (1), qui tanto cum acumine, ut omnium temporum dignissimus sit admiratione, distribuit disciplinas, scientiae naturalis eam partem, quae quum naturam describat, facultatem memorandi postulet, disciplinis memoriae adnumerat, ita ut philosophiae, quae in rerum natura indaganda versatur, fundamenta jaciat.

Cuvier (2) doctrinae de rerum natura inter artes mathematicas et Ethicam dedit locum, ejusque in initio operis celeberrimi hac de re verba haec sunt: «Placées entre les sciences mathématiques et les sciences morales les sciences naturelles commencent, ou les phénomènes ne sont plus susceptibles d'être mesurés avec précision, ni les resultats d'être calculés avec exactitude; elles finissent lorsqu'il n'ya plus à considérer, que les operations de l'esprit et leur influence sur la volonté.»

Medicina cum universis ingenii humani doctrinis tum disciplinis naturalibus in vario et diverso conjuncta est connexu. Nunc iis adjuncta nunc disjuncta est, adeo ut a nonnullis indigna scientiae nomine habita, ars tantum appellata sit, id quod et theoriae incertitudine, et praxeos ad generis humani

(1) Baconis Verul. de augment. scient. lib. II. Opp. ed. Arnold. Frf 1694, fol.

(2) Cuvier. Histoire des progrès des sciences naturelles depuis 1789 jusqu'à ce jour.

salutem gravitate effectum est. Quam sententiam Troxler (1) in Medicinae Encyclopaedia merito vituperat. Quis vero est quin animadvertat eum tantum, qui totam Medicinam in Therapia empirica, quippe quae rude exercita, summis obnoxia sit erroribus, positam esse arbitretur, de Medicina ex scientiis exstinguenda cogitare posse; tum vero Medicus non artifex, sed opifex nominandus est.

Omnes autem disciplinae, in quibus humanum versatur ingenium, distributae sunt, ut videmus, pro ratione aut rerum quas tractant, aut animi facultatum, quas ad cultum sibi vindicant. Distributio ex materie ipsa derivata ideo laudabilior videtur, quod fundamentum praebet stabilius minusque variabile, quum modus et ratio tractandi multorum subjecta sint arbitrio. Quod ad materiem quidem, quam Medicina tractat, non dubitabimus eam cum doctrina de rerum natura conjungere. Physica enim naturam universam omnibus ex partibus et omnibus in varietatibus cognoscere studet, a quo studio ne humani quidem corporis cognitio disjungi potest. Medicina autem rationem hominis physicam quoquo versus et observare et perspicere studet; atque hoc modo ad Physicam est referenda, ejusque gravissima est pars.

---

(1) Troxler, Versuche in der organischen Physik. Jena 1804.

Simili ratione Gaubius (1) de Medicina judicat, quum dicat: «Ex quibus liquet, naturam morbi generalem sitam esse in male affectis corporis vivi illis conditionibus, quibus id aptum natum est suam conferre symbolam ad actiones humanas: eoque morbos omnes et singulos inter se convenire, quod in corporis facultatibus sedem habeant. Alieni proinde a foro medico censendi, quicunque, si modo dantur, ad solam mentem pertinent; nisi statos Medicinae fines removere voluptati est.»

Etsi vero Medicinam Physicae et adnumerandam esse, neque ab ea divelli posse censeo, tamen minime cum iis consentio, qui nimis arcte illas disciplinas conjungunt, et Medicinam ex Physica deduci posse rati, theorias ex Physica haustas in Medicinam sine ulla modificatione transferre ausi sunt; et falsam quidem eorum sententiam refellere magna ex parte in hac commentatione mihi propositum est. Isto enim errore factum est, ut Medicina neque eundem gradum neque eandem auctoritatem, quam ceterae disciplinae Physicae, adepta sit, quippe quae ei et ob materiem quam tractat, et ob id, quod praestat, vindicanda sit. Male in ea re cum Medicina actum est, et jure Cuvier dicere potest: «La médecine sur

(1) Institutiones Pathologicae medicinalis auctore H. D. Gaubio. Editio altera. Lipsiae MDCCLXXI, pag. 15.

tout s'est faite dans tous les temps, honneur de l'appui que lui prêtent les sciences naturelles.»

Sed de ea re infra fusius disserendum erit, id modo jam hoc loco admonendum, quo facilius id, quod mihi propositum est, intelligatur. Mihi autem Medicinam cum ceteris disciplinis naturalibus comparaturo, inquirendum videtur, et quibus rebus ratio Medicinae excolendae ab ea, quam ceterae disciplinae naturales secutae sunt, differat, quum ei materies ipsa aliam viam praescribat; et altera ex parte quoad utile sit Medicinae, eadem via progredi.

Qua quidem de re practico modo disseramus, relictis disquisitionibus philosophicis, ne id vituperari possit in dissertatione mea quod ipsa vituperat, et vero ut probe Medicinam scientiasque naturales inter se conferamus, praecipue de his rebus nobis agendum erit:

1) Res quae scientiis naturalibus cognoscuntur, quum per se ipsae constent et singulares sint, inter se sejunctae ab intuentibus percipiuntur. Medicina autem sibi res, in quibus versatur, proprio judicio ab iis, quibus inhaerent et quibus conjunctae sunt, sejungat atque ita singulares proponat necesse est, ut jam singulariter per se percipi possint. Quae differentia primaria et gravissima est.

2) Physicae liberius quam Medicinae et ad suum arbitrium procedere, ac sine ullo usus respectu pro-

gredi datur; Medicina contra difficultate sua et usus gravitate semper vincta et retenta est. Jus experimentorum instituendornm non ceteris quidem scientiis naturalibus, sed Medicinae salutem et vitam facile in periculum vocanti, negatum est, qua re a progressu in litteris eo magis impedimur, quum alias experiendi facultate destituti simus, alias vero experimenta quamvis utilia et frugifera non sine summo periculo institui possint.

3) Ratio qua doctrina naturalis exculta est, stabilior semper fuit, quam qua Medicina, fluctuationem principiorum manifestans, progressa est.

4) Scientiae naturales, quarum singulae partes per se magis excultae sunt (quam rationem Cuvier systema divisionis nominat), ad eum integritatis gradum, qui omnium admiratione dignus est, pervenerunt. Medicinae vero summo erat damno, quod neque ab reliquis scientiis separata est, neque satis singulae partes, quas complectitur, ut in physices partitione factum est, discretae sunt.

§. 2.

Jam vero vertamus nos ad id, de quo primo loco disscrere proposuimus, et comparemus materiem, quam Medicina et scientiae naturales tractant, et in quo versantur. Primum quidem haec nobis,

de qua jam diximus, observanda est differentia, quod res doctrinis naturalibus investigandae jam in natura ipsa segregatae, et tanquam individua inveniuntur, ut plantae se praebent herbario, animalia zoologico et mineralia iis, qui Mineralogiae operam navant. Morbi autem, in quibus cognoscendis Medici studium ponunt, singulis modo manifestantur symptomatibus, quae homini inhaerentia, Medico, ita ut totam quandam imaginem praebeant, sunt conjungenda; qua re qui in Medicina Totum ex partibus conquirendum, in doctrinis vero naturalibus partes ex Toto, quod ab intuentibus observatur, derivandas esse dicat, minime a vero abesse videatur.

Ideo synthesis in Medicina primaria est, quae quum omnibus aliis quaestionibus fundamentum jaciat, et gravissimi est momenti, et maximas nobis difficultates offert cogitantibus morbos, qui tanquam individua nobis demonstrandi sunt, ab organismo, cui inhaerent, separari non posse, atque insuper saepe multos et diversos morbos simul organismum invadere, quibus in casibus a Medicina symptomata, quibus singuli morbi patefiunt, disponi, et ad morbos, quorum indices sunt, referri debent. Et re vera quidem videmus plerosque morbos nec satis manifeste a natura expressos, nec satis stricte a Medicis descriptos esse. Syphilis, ut exemplum moneam, a summis quidem Medicis ex quo apparuit tempore, observata et investigata est, et nulla ex parte jam

penitus cognoscitur, quum de nonnullis ejus symptomatibus adhuc sub judice lis sit, utrum Syphilidi an aliis dyscrasiis adnumeranda sint. Ita quoque Arthritis et Rheumatismus saepe confunduntur, quos morbos ne ipsa quidem theoria Medica sejungere queat.

In qua quidem syntheseos indagatione, etsi in Medicina maximi est momenti, Medicoque practico in aegrotorum examine dux esse debeat, Medici nunquam specialiter studium et operam collocaverunt, nec in operibus Medicis ea de re quidquam admonitum est. Unicus omnium Vogel (1) nominandus mihi videtur, qui hanc rem in opere speciali tractavit.

Scientiae naturales praecipue Zoologia, Botanice, Mineralogia, nihil hanc synthesin curantes, ab Analysi ductae investigationem incipiunt, ad quam persequendam certae exstant leges; simili ratione et Medicina in ea parte Nosologiae, quae morbos in classes et ordines distribuit, leges proponere conata est.

In ea quidem parte Medicinae, quae singulos morbos constituere quaerit, ea nos duci debemus sententia, ut leges, quibus morborum combinationes, maximam, ut jam diximus, in ea re difficultatem

---

(1) Vogel, S. G. Kranken-Examen. Stend. 1796.

proferentes, formentur, adesse arbitremur, summa cum diligentia perscrutandas, quippe quae magnam difficultatum in morbis constituendis existentium partem amoveant.

In nonnullis autem scientiis naturalibus combinationibus aeque ac in Medicina operam navandam esse videmus. Res, quas Chemia et ars physica tractant, combinationes sunt simplicium materiarum aut virium, quemadmodum morbi combinationes symptomatum sunt, aut combinationes combinationum, simili modo ac combinationes morborum reperiuntur. Eas combinationes in partibus simplicibus, quibus compositae sunt, cognoscere Chemiae et artis physicae est; quodsi etiam in illis ipsis disciplinis multa adhuc ea de re incerta invenimus, tamen negari non potest, studium huic rei a viris doctis navatum non sine fructu fuisse, manifestumque est, Chemiam legibus, quibus illae combinationes formantur, insequentibus inquisitionibus fundamentum imposuisse. Wentzel primum eam rem in opere suo, »Lehre von der Verwandschaft« tractavit, quem Bergmann, Richter, Berthollet, John, Dalton et Berzelius secuti sunt, quorum novissimus Chemiae hanc partem tam diligenter tamque ingenuose excoluit, ut quae ars fuit ei jam honor scientiae non amplius abdicetur.

Si vero viam, qua progressa est Chemia ad le-

ges, quibus corpora conjunguntur, inveniendas, respicimus, eam primum studium corporibus simplicibus e. s. elementis cognoscendis impendisse videmus, atque singulis disquisitionibus nixam processisse. Medicinae autem symptomata morbi idem sunt, quod Chemiae elementa, quare omnem diligentiam Medici singula symptomata primum postulant. Elementis cognitis Chemia ad observationes difficiliores minusque simplices processit, conjunctiones simplices investigavit et leges harum combinationum indagavit; hoc modo acida et bases distinguit, tum progressa est ad compositiones complicatiores.

Similem viam Medicinae utilissimam et maxime frugiferam arbitramur. Principio singula symptomata cognoscantur, quibus cognitis ad eos morborum casus adire permissum est, qui parvum symptomatum numerum demonstrant, atque omni iis studio navato, ad combinationes morborum transeundum est. Non dubitavimus, quin hac ratione diligenter progressi, intelligamus combinationes et symptomatum in morbis et morborum ipsorum non fortuitas esse, sed semper certas sequi leges, quas indagandas commendavimus.

De combinatione morborum hoc addendum videtur. Combinationes morborum non semper existunt, ubi duo morbi una organismum invadunt. Duo enim morbi, qui sine ullo connexu inter se in

homine adsunt, complicationem tantum praebent, minime cum combinatione confundendam. Combinatio enim ex conjunctione intima utriusque morbi oritur, per quam uterque morbiis mutuo sese commutat, et ad unum novumque sese componit morbum. Neutralisatio quasi fit aeque atque in Chemia, acido cum basi conjuncto, acidum qualitates, quibus acidi significantur, et basis eas, quibus bases cognoscuntur, perdit. Inter combinationem et complicationem morborum eadem fere est differentia, quae inter aggregationem mechanicam et chemicam invenitur.

Eas combinationes nostris temporibus Autenrieth praecipue commemoravit. Ita Bubo semper ad Scrophulosin est adnumerandus; Scrophuloseos autem diversa indoles, prout cum morbo aliquo Bubo est conjunctus manifestatur, e. g. Bubo in Syphilide Rheumatismo et Typho; eodem modo Petechiae contemplandae sunt, quae aut cum Rheumatismo aut Typho aut Scorbuto sunt conjunctae. Inflammatio, quae tot iniit combinationes, ob eam causam tam variam demonstrat indolem. In morbis universalibus chronicis inquirendis, totus morbi decursus a singulis morbi paroxysmis et symptomatibus distinguendus, quae saepe combinationes, ad morbum chronicum universalem non referendas, ineunt. Ita Scrophulosis cum Syphilide in toto decursu saepe combinata est, inflammatio autem cum Scrophulosi aut Syphilide in singulis symptomatibus utriusque morbi.

Aeque atque combinationes morborum constituendorum impedimento sunt, transitibus frequentibus morborum in alios, et mutationibus sedum, quas in morbis animadvertimus, perturbamur. Sed etiam de hac re observationes accuratae leges facillime constituerent; videmus transitus praecipue in morbis minoris gradus, sicut dolor simplex saepe in inflammationem transit, contra autem majoris gradus morbi rarius et minus transitibus subjecti sunt; morbi contagiosi inter morbos principes ideo, quod jam ad semina proferenda exculti, atque ita regenerationis facultate praediti sunt, fere nunquam transeunt in alios morbos, et morbi, ubi illi decesserunt, orti, secundarii potius habendi sunt, quippe provocati aut ea conditione, quae praeteritis illis morbis in corpore effecta, aut materie quadam morbosa in organismo relicta.

Quod ad mutationem sedum attinet, morbus aut eam partem corporis, qua primum ortus est, plane relinquit et aliam ingreditur, quod metaschematismum nominamus, aut in prima parte persistens ad alias quoque effunditur, et ita quidem ut aut ad partes modo similes secundum continuitatem propagetur, aut ad partes quoque dissimiles progrediatur. Catarrhus ab uno puncto membranae mucosae incipit et secundum continuitatem in totam membranam effunditur, inflammatio autem saepe tunicis

viscera circumdantibus primum inhaerens, ad parenchyma etiam viscerum saepe evehitur.

Etsi organismi quidem individualitas in his transituum generibus maximam exercet vim, tamen illa minime ab omnibus legibus destituta esse arbitramur. Videmus enim, ut hoc unum exemplum moneam, scrophulosin certa via fere semper per corpus effundi; namque incipit aut a glandulis mesentericis et adscendit ad pectus et collum, aut a collo incipiens descendit ad pectus et abdomen, et in aetate quidem infantili abdomen fons primarius.

§. 3.

Jam accedamus ad differentiam Medicinae a reliquis disciplinis naturalibus considerandam, quae in eo consistit, quod iis in rebus, in quibus versantur, quaquam effectus ratione neglecta, quoad vires sufficiunt, experimenta instituere licitum est, id quod Medicinae negatum est. Neque enim pathologico neque therapeutico ob gravitatem et periculum effectus ex arbitrio ad experimenta accedere licet; id Hippokrates in primo Aphorismo jam adnotat, dicens: η δε πειρα σφαλερη. Sed non modo periculum obstat, etiam facultas, quum in plerisque casibus, etiam periculi respectu non habito, experimenta a medicis institui nequeant. Ita sanguinem in vasis contentum nullo modo analysi chemicae subjicere possumus.

Experimentum in ducendis viribus naturae, amovendis iis, quae adesse non debent, et adjungendis iis, quae experimentatori necessariae videntur, constat. Quare factum est, ut in doctrinis naturalibus singula tam accurate cognita et perspecta sint, et etiamsi experimenti successus expectationi non semper respondeat, nihilo tamen minus frugi esse potest. Praeterea nihil obstat, quominus quovis tempore observetur, ideoque magnus observationum numerus in doctrinis naturalibns conquiri queat. Medicinae contra non tam facilis observandi occasio praebetur, neque morbum certum proferre, neque in morbo praesente ad morbos certo cognoscendos, et ad certum de iis judicium ferendum, ex arbitrio symptomata amovere potest. Medico voluntarius remediorum usus non permissus est, cum vitam in periculum etiam minimum vocare non debeat.

Tum vero videmus, et maxime quidem in Physiologia, experimenta in hominibus et animalibus instituta nos de rebus indagandis non multo certiores fecisse, quum demovendi ejus ex organismo vivo, quod experimentum in dubium vocare possit, copia deficiat. Nullum exstat experimentum in Medicina, quin a diversis auctoribus ad diversa axiomata probanda explicatum sit. Hoc unum afferamus exemplum, quod difficultatem et fallaciam experimenti in organismo instituendi satis manifestat. Magendie ventriculum inter vomendum nihil agere, sed muscu-

los abdominales probaturus, ut de hac re experimentum institueret, cani exscisit ventriculum, cujus loco vesicam aqua plenam substituit, atque ad vomitum proferendum tartarum stibiatum in venas injecit. Vomitum hoc medicamento effectum sententiae suae veritatem comprobare opinatus est, negatam illam quidem a physiologicis summae auctoritatis, inter quos etiam Rudolphi, quem simul piguit experimenti tam rudis nostrisque temporibus alieni.

Ubi quidem experimentum ad res accurate cognoscendas in scientiis empiricis deest, ibi vero ad observationem rerum, ut natura eas praebet, accedendum est, a qua sola in Medicina omnis salus speranda est, cui nulla alia via prostat. Haec ipsa autem observatio, quam minime ceterae disciplinae naturales in multis casibus despicere possunt, et summam perseverantiam et diligentiam indefessam plurimumque otii desiderat, et viris tantum summo ingenii acumine insignibus judicium hinc colligere licet. Frustra quidem in diligentiam ad res medicas a medicis consumtam inquirimus, quibus in ceteris disciplinis docti viri sane exempla esse possunt, quos summo studio imitentur. Quantum operae et laboris consumserunt zoologici et herbarii in itineribus eum ad finem, ut remotissimarum terrarum bestias et plantas cognoscerent, susceptis.

Praeterea ratio observandi, quam secuta est Medicina, minime laude digna videtur neque talis erat,

qualem in aliis doctrinis videmus. Partim enim medicina in concludendo nimis praecox erat, ita ut plura ex observatione conjiceret, quam quae re vera illa manifestabat, partim medici non satis sinceri erant in describenda observatione, quum saepe eas modo observationis partes, quae hanc aut illam theoriam sustentarent, respexerint, omissis aliis, quae theoriae comprobandae repugnarent. Viri docti in aliis scientiis in ea re non peccaverunt, qui summa cum diligentia singula cognoscere studebant, neque aliud petiverunt quam accuratam singulorum descriptionem.

Ad acuendos sensus Medicina fere nunquam in observationibus patholologicis et therapeuticis instrumenta adhibuit, et hodierno tempore, quo donata est per L a e n n e c stethoscopo et plessimetro, magnus medicorum numerus his instrumentis utendum esse inficias eunt, quibus opera in eorum instrumentorum experientia et usu consumenda nimis molesta est. Etenim quam aliam causam proferre possunt, quum satis superque patefactum sit, nullum morbum seu pectoris, seu pulmonum, seu cordis, illis instrumentis rejectis, certo dignosci posse, et quum ipse confiteantur in illis morbis symptomata ex totius corporis conditione ex pulsu, respiratione, urina, et cuti indagata dubia esse; ergo ne minimum quidem auxilium spernendum elucet.

Ad observationes bene describendas in ceteris disciplinis, et praecipue in arte herbaria terminolo-

giam certam compositam, et a viris doctis acceptam esse videmus, quam in Medicina frustra quaerimus, in qua, ut alia omittam, ne nomina quidem morborum satis stricte definita sunt. Nonne enim videmus unum idemque nomen variis et diversis morbis a diversis auctoribus attributum. Quo factum est, ut morborum historiae ab auctoribus descriptae sane criticum, ut recte intelligantur, requirant ingenium.

§. 4.

Etsi vero in ipsa observandi ratione Medicina multa peccaverit, tamen negari nequit, quin res medico observandae in multo majores angustias illiciant, quam quae in Physica observantur. Medicinae enim agendum est cum organismo vivo, ubi vita tot et tam diversis modis et vicibus saepe observatorem fefellit, ubi singuli pro sua propria natura normae totum genus includenti repugnant, et ipsi suas sequuntur leges, ita ut abnormitates non rariores sint quam normae. Quibus anomaliis et vitiosa observationis ratione copia theoriarum et diversarum et falsarum in Medicina nimia provocata est, quae iterum singulorum observationibus valde infesta erat. De qua quidem re hoc admonendum videtur.

Tot et tam variis theoriis et principiis, quae in Medicina uno eodemque tempore viguerunt, effectum

est, ut, nulla jam valente auctoritate, quivis ad systema constituendum jus sibi esse crederet; quod etiamsi doctorum virorum repulsam tulerit, pari aliorum infortuna consolatus est. Et re vera quidem tanta systematum construendorum cupido invasit medicos, ut paene dixerim, quot medicos tot systemata. Ceterae contra disciplinae naturales exiguum systematum, quae celebritatem inter viros doctos adepta sunt, numerum produnt. Quae systematomania, ut ita dicam, singulis observationibus maximum damnum attulit; namque id quod ejus systema sustentat, facile observat, quod vero labefactat, negat aut praeterit lubens medicus, qui praecox ad observationem adiit. Quare apparet, observationem, ad systema sustentandum institutam, in scientia nullius momenti esse posse. Viris doctis enim veritatem observatoris et sinceritatem in dubium vocantibus, hinc nulla commoda prodeunt. Oblivioni itaque plurimas traditas esse observationes, systemate, quo nitebantur, rejecto, videmus. Contra observandi ratio justa et simplex doctrinarum naturalium efficit, ut semel observatum, mutata etiam theoria in omne tempus verum et irrevocabile persistat.

At dicat aliquis, copia systematum uno tempore regnantium, quod tamquam maximum vitium condemnasti, ea mihi summae frugis fuisse videtur. Nam ipsa, quam tu vocas systematum maniam, magnam inter medicos contentionem excitavit, quae

ad veritatem tandem deduxit. Quin, ipsum observandi studium magnopere his rixis excultum est, cum, qui systemati male cuperent, ad adversarium refellendum, rectam et accuratissimam observationem instituerint.

Cui sic respondeo: minime mihi in animo esse hanc rixam inter medicos condemnare, quae veritatem theoriae in scientia regnantis demonstrare aut refellere studet; immo laude dignam voco. Id modo vituperavi, quod nimia theoriarum et systematum copia medicorum labores nimis dispersit, et cum in unum singulum quoddam accurate cognoscendum non cogerentur, labores inanes erant, id quod et historia Medicinae patefacit, quae semper hanc aetatem, qua unum systema prae ceteris floruit, omniumque medicorum intentiones conjunxit, maxime frugiferam fuisse docuit. Ad hujus rei documentum referamus systema Brunonis, quod tantam celebritatem adeptum est, ut medicorum totius Europae, qui aut sustentarent aut rejicerent, mentem intenderet, et cetera systemata reprimeret. Nonne tunc multa recta judicata videmus, et ipsi medici, qui falsum etiamque perniciosum systema Brunonis demonstraverunt, utilitatem, quam Medicinae protulit et relinquit, minime abdicant.

§. 5.

Superest ut de divisione, qua doctrinae naturales et a ceteris disciplinis et inter se ipsas discretae sunt, quamque Cuvier merito praecipuum excolendarum scientiarnm auxilium nominat, disseramus, et ut ostendamus, Medicinae ab ea divisione abhorrenti contrariam viam summo detrimento fuisse.

Historiam litterarum inde ab antiquissimis temporibus nobis considerantibus, sane mirum videtur, quod illis adeo remotis temporibus unus saepe homo insignem diversarum disciplinarum notitiam sibi acquisiverit et in omnibus quidem excelluerit. Angustus vero doctrinarum singularum ambitus, ipsaque tractandarum earum simplicitas, quae tunc in more erat, satis quomodo id fieri potuerit patefaciunt. Sequentibus autem temporibus, finibus scientiarum extensis, ita ut jam unius hominis facultates ad omnia complectenda non sufficerent, ab ea studii ratione, quamvis copia cognitionum nimia ad divisionem urgeret, mos non recessit. Quum igitur hoc modo homines docti in singulis rebus indagandis neque satis operae neque studii consumere possent, obscuritas et negligentia singulas irrepsit doctrinas, et accurata rerum, de quibus disserendum erat, cognitio plane defecit; dogmatibus philosophicis nimis indulserunt viri docti, quae quidem, ullo certo fundamento orbata, aeque vana et falsa reperias. Hic est status scientia-

rum in medio aevo, et quum rerum cognitio minor esset, quam ut ex iis recte philosophari possent, mysticismo tum regnante, evenit, ut etiam scientiae obscuritate offunderentur, et sane mirabilem singulae disciplinae sibi proponerent finem. Nam medici remedium universale, quod omnibus morbis mederi posset, chemici aurum, quod proferre omnes studebant, tanquam deum quendam incognitum quaesiverunt.

Baco quidem per philosophiam suam scholasticam illam repressit, et ad observationem ipsius naturae viros doctos excitavit. Tunc tandem laborum divisio, ut singuli singula observarent, exorta est. Quum igitur disciplinae naturales et ab alienis disciplinis et inter se segregarentur, singulisque viris attribuerentur, Medicina veluti sola superstes et relicta medicis practicis tradita est, sed nimia difficultate in progrediendo perterrita, cum ipsa fundamento certo egeret, semper ad alias disciplinas confugit, ex quibus nimis incaute, quidquid utile visum est, accepit, et in suum commodum convertit.

Ex ea singularum disciplinarum naturalium divisione, viris doctis, qui singulis earum operam navaverunt, principia, quae in scientiis excolendis ducerent, ex materie ipsa sese manifestaverunt. Chemici corpora in simplices partes disjungere i. e. elementa quaerere et combinationes ex elementis proferre, et combinationum proportiones inquirere sibi proposuerunt, physici effectus virium calculis mathe-

maticis subjicere, herbarii plantas et zoologici animalia e singulis partibus et describere et dignoscere, et ex ipsa eorum natura in classes et ordines distribuere conati sunt. Medicina, ut supra jam diximus, non plane ab aliis scientiis refugere voluit, unde ejus theorias et systemata ex alienis disciplinis, ex Chemia, Physica, ipsa adeo Theologia deprompta videmus. Quis numeret chemicorum systematum farraginem, ex quo tempore a Lavoisier oxygenium in aqua detectum est. Neque ignota sunt conamina Girtanner, qui oxygenium principium vitae esse edocuit, et Brandis, qui vitam mixtionem chemicàm explicavit, et Baumesii, qui in opere suo: Conatus systematis chemici de cognitionibus elementorum corporis humani, morbos omnes in oxygeneses, calorineses, hydrogineses, azoteneses et phosphoreses dividit. Ex Stahlii sententia animus prima causa est omnium motuum, quem ipsum minime materialem dixit. Et medicorum plurimus sano systematum numerus nihil sunt, nisi opinionum, quas modo singulas indicavimus, compositio et coalitio harum theoriarum, auctoribus ex aliis scientiis alias sententias eligentibus.

Brown omnium princeps, nullo aliarum doctrinarum respectu habito, ut Hallerus irritabilitatem in Physiologiam, sic incitabilitatem in Medicinam, tanquam vim omnibus animantibus propriam introduxit. Idem omnes sani organismi mutationes et

omnia morborum genera, omnium rerum exteriorum in corpus effectum hac incitabilitate effici contendit. Brown, cui id maxime persuasum erat, Medicinam nulla alia scientia niti debere, quae erat ejus violentia, vehementissime in omnes alias disciplinas invectus est, quarum studium iis, qui Medicinae operam darent, perniciosissimum dissuasit.

Nec sane infitiari queas historiam Medicinae cuncta ista systemata falsa probasse, et lubrica et perversa docuisse, ita ut quae hodie viget doctrina medica, a physicis istis et chemicis hallucinationibus jam recesserit. Est hoc Halleri et Brunonis meritum, cujus systema, quamvis per se quidem minime verum, tamen ad quaerendam veritatem plurimum contulit.

Ut vero universae scientiae naturales singulariter excultae sunt, ita etiam singulae earum partes. In Medicina autem quamvis haec divisio re vera instituta sit, tamen verbo et principio eam nusquam comprobatam videmus.

Inprimis singularum doctrinarum naturalium dissidium a philosophia naturali provocatum est, quae non notionem generalem petiverunt, ut vim naturae universalem, quae unica in philosophia proposita est, cognoscerent, sed in singula discesserunt, iisque indagandis omnem operam dederunt. Ars enim chemica nova elementa indagat, physica novas vires naturales, atque omnes doctrinae naturales in

theoriis suis, derivatis ex observationibus, unitatem illam naturae, quam philosophia adpetit, parvi pendent. Medicina vero cum semper unitatem illam confectaretur, quae in natura tantum corpore vacante inveniri potuit, hiatum illum nunquam explendum, qui est inter materiam et res incorporeas, transilire conata est. Hinc illae lacrimae, hinc systematum in nostra disciplina multitudo, quae, spreta materia, dynami tantum nituntur.

Quam egregie dicit Cuvier in opero suo supra laudato: Quant aux essais plus nouveaux tentés en Allemagne par les sectateurs de ce qu'on appelle, en ce pays-là, philosophie de la nature, on peut déjà en prendre une idée par ce que nous avons dit de leur physiologie. Ils se placent à un point de vue si élevé que les details leur échappent nécessairement.

Physices theoriarum longe alia erat natura, quae non ad intelligendam vim primariam, sed ad progressus facilius uno conspectu perlustrandos, et ad inquisitiones insequentes sustentandas, inventae erant, et proprietatibus nitebantur, quae sensibus percipiuntur, ut in Chemia substantiarum distributio in acida, oxyda, salia etc.

Haec est Cuvieri theoriarum Physices definitio: En d'autres mots nos sciences naturelles ne sont que des faits rapprochés, nos théories que des formules qui en embrassent un grand nombre, et

par une suite nécessaire le moindre fait bien observé doit être accueillé s'il est nouveau, puisqu'il peut modifier nos theories les mieux accreditées, puisque l'observation la plus simple peut renverser le système le plus ingenieux et ouvrir les yeux sur une immense serie de découvertes, dont nous séparoit le voile des formules reçues.

Ex hac medicorum consuetudine notionem generalem petendi, factum est ut, observationibus rerum novis neglectis, ea quae saepe jam observata erant, variis tantum modis explicarentur. Ita, ut dicit Baco, scientia non recta linea progressa est, sed tanquam in gyrum acta.

Accuratius hoc respectu Pathologiam consideramus.

Universa Pathologia in generalem et specialem dividitur, quarum prior morbi οὐσίαν et naturam, ortum atque exitum definire sibi proposuit. Promissis autem stare non valuit, et quamvis eam ob causam hujusmodi explicationum studium haud vituperationi ducamus, illud tamen displicet, quod tanti in Medicina habetur, ut magna errorum pars ex morbi definitione, quippe quae non satisfaciat, derivetur, quodque etiam ipsis illis disquisitionibus ad philosophiam naturalem magis pertinentibus, quominus studium rebus maxime frugiferis, de quibus infra sermo erit, voveamus, impedimur.

Ceterum multa, praecipue quod ad οὐσίαν et

naturam morbi attinet, peccata videmus. Zimmermann (1) sic definit οὐσίαν: eam primum et unicum principium esse omnium earum rerum, quae, ut philosophi loquuntur, ad entis alicujus facultatem referuntur. Qua definitione ad Pathologiam accomodata, morbi alicujus natura erit primaria organismi declinatio a statu normali, qua efficitur ut morbus exstet. Quae quidem internae aberrationes cum cognitu fuerint difficillimae, medici mox aliam ingressi sunt viam, morbique aliquod symptoma, vel potius mutatam organismi agitationem, quae symptoma gravissimum efficeret, cum ipsa morbi natura confuderunt. Illa sententia saepe re improbabatur, et ratio, cur hoc vel illud symptoma maximi haberetur, pro systematum diversitate diversa erat.

In systematibus illis ex chemia depromptis naturam morbi in materiae mutatione, in illis dynamicis, in vis vitalis incremento vel decremento nixam esse videmus. Cum ipsa illa morbi natura ad morbum ex organismo amovendum impugnanda esset, maxime laudandum est, quod saepissime id symptoma, quo devicto, morbus sanatus est, pro ipsa morbi natura habitum est, ita ut, quo in morbo alcalia utilia erant, morbus in matatione acida poneretur, aut quo

---

(1) Zimmermann. Philosophisch - medicinisches Wörterbuch. Wien 1803.

incitamenta salutaria erant, debilitati morbi causa tribueretur.

Haec est mea de pathologia generali sententia, eam plane pathologia speciali, quae, nullo pathologiae generalis respectu habito, solis morborum observationibus continetur, niti, et in combinatione voluntaria eorum, quae in pathologia speciali proposita inveniuntur, fundari, ad leges, ex quibus morbi oriuntur, decurrunt, combinantur et finiuntur, investigandas. Et hanc, quoad leges illas magis explicare et caussas earum ex naturae unitate deducere conetur, partem philosophiae naturalis contemplandam esse censeo. Neque spernendae sunt tamquam humiles et indignae inquisitiones illae pathologiae generali indagandae, quum sane et summum ingenii acumen et maximam cognitionum copiam requirant, et recte cognitae medicis summae sint utilitati. Jam de combinationibus et transitu morborum in parte priore locuti sumus. Desideratur usque ad hodiernum diem accurata descriptio morborum, ut in variis terrae regionibus inter se discrepantes observantur, et quae de ea re monita sunt magis fragmenta habenda. Quod ad distributionem morborum in classes, certis destituti sumus legibus, quales in ceteris scientiis naturalibus videmus. Quae sane ad certamina inter medicos de diagnosi morborum amovenda maximi sunt momenti. Leges hac de re in pathologia generali proponendas ex symptomatibus col-

ligi oportet, ut botanici et zoologici plantas et animalia ex formis in classes redigebant. Non minus quam formarum in plantis et animalibus diversa est dignitas, etiam symptomatum auctoritas ad morborum distributionem diversa, quam determinare, ita ut certae leges proficiscantur, medicorum est. Egregius ille Schoenlein de ea re disseruit sub nomine: Bestimmung des absoluten Werthes der Krankheitssymptome.

Etsi Medicinae excolendae eam laudo rationem, quae philosophicas aspernata conjecturas, in ipsas naturae observationes incumbit, philosophiam, quae in rerum natura indaganda versatur, tamquam falsam et contemptu dignam, ut saepe factum est, rejicere nunquam in animo mihi erit. Ejus enim dignitas non modo non diminuitur, quod ad doctrinas naturales non adhibetur, sed potius augetur, quum vinculis, quibus cohibetur libera, nullas alias leges, quam quas sibi ipsa praescribit, sequatur.

Mihi autem ad connexus inter singulas Medicinae disciplinas rationem inquirendam adituro, demonstrare, eas quoque inter se melius dividendas esse, et ex principio, quod quaeque disciplina postulat, excolendas esse propositum est.

Disciplinae, quas complectitur Medicina, Physiologia, Pathologia et Therapia, in omnibus medicis systematibus et theoriis, praecipue in philosophicis, quas dicimus, ad intimum usque connexum excultae

sunt, quia medici pathologiam ex physiologia, therapiam ex pathologia derivandam esse rati, physiologiam omnibus Medicinae doctrinis tamquam fundamentum subponunt. Quamvis praxis saepe contrariam viam insequi, nec connexus ullo respectu habito, progredi cogeretur, id magis angustiis, quibus adhuc laborat Medicina, debetur. A medica enim doctrina, illis angustiis superatis, in omnibus partibus absoluta, alteram disciplinam ex altera eruere, id quod scientia per se ipsa postulat, non alienum fore censum est. Respiciamus vero primum systemata, quae ex intimo disciplinarum nexu provenerunt, tum vero theorias, quibus medici singulas observationes explicaverunt eo consilio, ut probemus opinionem, quam de ea re protulimus. Prae caeteris vero pathologiam cum physiologia, quoad huc spectat, conferamus.

Reperiuntur in Medicina systemata anatomica, physiologica, nosologica et therapeutica, quae, quum omnibus disciplinis, quibus componitur Medicina, applicata sint, et sic justo plus sibi arrogaverint, rejecta sunt. Ex quo tempore summus Hallerus functiones, quae in organismo vivo agunt, secundum irritabilitatem, sensibilitatem et reproductionem distribuit, magnam systematum illis viribus nitentium copiam in Medicina exortam esse videmus; quorum ne unum quidem usque ad hodiernum tempus incolume conservatum est.

Cullen, Home, Unzer praecipuos illorum systematum auctores moneamus.

Eam sententiam, pathologiam ex physiologia hauriendam esse, ultra modum persecuti sunt medici philosophici, qui problema pathologiae id esse praedixerunt, a priori ex physiologia omnes morbos, qui extare possint, constituendi: Troxler (1) de ea re haec verba fecit:

»Wissenschaft stellt immer die Fülle der Möglichkeiten dar; und thut sie das in ihrer Sphäre erschöpfend, so giebt es wohl keine weitere Prätensionen an sie. Die Nosologie hat sich also nur an die Möglichkeiten, welche das Leben in seiner Form begreift, zu halten.»

Postea quidem dicit:

«Die Nosologie hat keinen andern Gegenstand und keinen andern Weg als die Physiologie.«

Systema Brunonis, in quo severe pertexto intimum inter singulas disciplinas animadvertimus connexum, maxime nos edocet, et satis quae vitia ex illo connexu exoriantur, manifestat. Id enim systema, ut auctor ipse et accuratius amicus et discipulus Robert Jones narrant, originem ex ratione therapeutica, qua Brown, quum podagra laboraret,

---

(1) Troxler: Ideen zur Grundlage der Nosologie und Therapie. Jena, 1808.

contra omnia praecepta a medicis sui temporis in eo morbo praescripta, malo suo sanatus est, duxit. Cum enim vivendi ratione severa in arthritide a medicis praescripta, morbi quo vexatus est vehementia augeri videatur, ab eà recessit, et cibo et potui liberius se dedit. Ecce morbum statim superatum! Incitamentum, quod attulisset, morbum sanavisse censuit, quem medici severa victus ratione còrpus debilitantes auxissent; quare omne auxilium therapeuticum, quod aegrotis ferrent medici, excitando vel debilitando niti concludit. Ratus, causa remota, morbum sanari, in pathologiam progressus est, neque aliam morbi causam quam stheniam, vel astheniam edocuit. De physiologia tali modo disseruit: omnes res extrinsecus organismo adductas incitamentum proferre et vitam incitare, amotas quidem vitam diminuere. Incitamenta igitur vitam conservant, et vim organismi, quae illa incitamenta excipit, incitabilitatem nominavit Brown. Etiam hanc de physiologià sententiam ex therapia derivatam videmus, quare systema Brunonis therapeuticum appellare non dubito.

Systema, quod Broussais constituit, stricte pathologicum est. Ex pathologia enim profectus, cujus basin gastroenteritidem proposuit, in therapia etiam nullam aliam sibi proposuit indicationem, quam contra hunc morbum agendi. Quantum in illis systematibus peccatum sit, ab omnibus intelligitur et ma-

gnam errorum partem ex connexu, a quo disciplinae abhorrent, prodiisse, eo manifestum est, quod systema Brunonis, etsi in therapia, ex qua disciplina profectum est, hodie non plane neglectum, cum multi medici practici Brunoniani inveniantur, in pathologia, cui injuste applicatum, nullius amplius momenti est; et altera ex parte, quod systema a Broussais constitutum praecipue a therapeuticis vituperatum esse videmus.

Scientiae naturales in systematibus construendis id invitium non inciderunt, neque confuderunt singulas, quas complectuntur, disciplinas. Botanici praecipue ejus rei auctores esse possunt, qui ad plantas cognoscendas et distribuendas systemata proferentes nunquam physiologica principia, etsi physiologia plantarum cum plantis in majore connexu est, quam physiologia hominis cum morbis, quibus homo afficitur, sed plantarum potius formas earumque coalitiones secuti sunt. Simili ratione medici nosologici morbos in systema naturale redigere inchoaverunt, qui ex symptomatibus, quibus singuli morbi manifestantur, principia divisionis hauserunt; quae ratio unica mihi videtur, quae ad accuratam et rectam morborum diagnosin nos ducere et inquisitionibus, in quibus pathologia universalis versatur, certum fundamentum jacere possit. Ac sane jam magnos in ea re progressus fecissemus, si medici inter se concinuissent.

Ut quidem systemata, de quibus disseruimus,

ſalsa inveniuntur, ita quoque theoriae in pathologia ex physiologia haustae, et quibus singuli morbi explicabantur, magis ingenii humani coniecturae sunt, quam quae ab ipsis naturae observationibus proſectae sint.

Physiologia, quae doctrina in organismo sano indagando versatur, cessat organismo aegrotante, ex quo pathologia suas incipit inquisitiones. Pathologici vero recentiorum medicorum sententiam morbum negationem sanitatis esse secuti, in morbis illas ipsas negationes praecipue indagaverunt, ex quibus morbi naturam explicare conati sunt, proinde ac in iis causa omnium symptomatum, quae morbus pateſacit, posita esset.

Cum quidem argumentis demonstrari non possit, ſunctiones tantum physiologicas, quae in organismo sano agant, mutari, novas et organismo sano alienas non extare, a priori contendere non possumus, pathologiam theorias ex physiologia promere debere, et simulac id fieri non possit, eam omnibus ſundamentis, quae scientia postulat, egentem, empirice modo tractari posse. Ita Winkelmann dicit in dissertatione quadam de studio pathologiae empiricae: »Wir ſühren den uns unbekannten krankhaſten Zustand auſ eine physiologische Erſahrung zurück. Diejenigen Zeichen, welche wir nicht physiologisch erklären können, müssen wir historisch kennen zu lernen suchen.« Dixerim potius ea signa pathologice

cognoscenda esse. At re vera quisque morbus duos symptomatum ordines nobis demonstrat, alterum qui symptomatibus, functionum physiologicarum, ut ita dicam, modificatione ortis componitur, alterum ex symptomatibus mere pathologicis, quae etsi physiologia explicare non potest, in pathologia maximi sunt momenti.

Medici veteres, morbum aliquod positivum esse docuerunt, idque maxime laudandum videtur. Morbi velut plantae contemplandi sunt, qui internis caussis in organismum invecti, et certas quasdam abnormitates proferunt, et pro sua natura in eo crescunt, ita ut symptomata, quae sunt organismo sano aliena, et symptomata physiologica, modificationes quantitativae functionum in statu normali agentium gignantur, quae quidem sejungere magni saepe negotii est.

Morbi contagiosi, praecipue exanthematici, id quod modo dixi, confirmant: invadunt enim eorum contagia specifica organismum, eumque ita commutant, ut quoad diathesis adest ad morbum proferendum sit aptus. Cum symptomatibus physiologicis, quae magis abnormitates a statu normali demonstrant, cum febre et inflammatione locali, in qua totum morbum positum esse saepe praedicebant medici, incipiunt morbi exanthematici. Diversam quidem febris et inflammationis naturam, formam exanthematis, ejusque decursum physiologici definire non possunt, quibus rebus indagandis pathologicos operam dare oportet.

Quod ad sympathias organorum in morbis, physiologia de iis non semper decernere potest, quae etsi consensum organorum in statu integro investigat, tamen contra praecepta sua alias in statu morboso sympathias exstare minime negat, quarum specificam naturam in omnibus fere casibus nullo modo explicare potest.

Quod quidem ad connexum inter physiologiam et pathologiam, huic maxime nocuit, quae vincta illis symptomatibus physiologicis, quae ad functiones magis pertinent, observandis, ex quibus morborum natura deducenda esset, accuratam morbi ejusque decursus descriptionem neglexit. Sane in morborum historiis symptomata functionum laesarum praecipue adnotata videmus, eorum fere nulla facta mentione, quae vitiis materiae et formae proferuntur.

De therapia pauca hoc loco adjungam.

Via therapeutica, quae theoriam pathologicam sequitur, falsa est, et quamvis therapeuticus pathologiae accuratissima cognitione imbutus sit, oportet, tamen in therapia aliis quam in pathologica ducendus est principiis, ne credat, symptoma, cujus dignitas in pathologia sit maxima, tanti momenti in therapia esse, ut, eo demoto, morbus sanetur. Ita videmus in morbis, qui aciditate oriuntur, ut dicunt medici theoriis chemicis faventes, alcalia non semper salutaria.

Sed de ea re hic latius non disseram.

Ceterum quidem, dummodo accuratius inquiramus, facile intelligemus pathologiam ex therapia theorias saepius deduxisse, quam therapiam ex pathologia, et universam Medicinam sic semper excultam esse, ut appareat therapiam praecipue respectam fuisse. Quae res, etsi a multis vitiis, quae salutem aegrotorum in periculum duxissent, medicos retinuit, tamen, quominus scientia medica certiora sibi jaceret fundamenta, impedivit.

VITA.

Ego, Adolphus Moser, Berolinensis, veteri fidei addictus, anno MDCCCX natus sum, patre J. Moser, matre e gente Bambergiana, quibus adhuc viventibus etiam atque etiam gaudeo. Maturitatis testimonio accepto, anno MDCCCXXIX a Beat. Hegel t. t. Rectore Magnifico in numerum civium academicorum receptus, ab Illustr. Wagner, medicorum ordinis decano, Medicinae studiosis adscriptus sum. Ex quo inde tempore per quattuor semestria hisce scholis interfui:

Beat. Rudolphi de anatomia corporis humani, de anatomia comparata, organorum sensuum, foetus humani et de physiologia. Beat. Knape de osteologia et syndesmologia; uterque artem cadavera rite dissecandi me docuit. Beat. Hayne de botanice, Illustr. Hermbstaedt de chemia, Illustr. H. Rose de pharmacia, Illustr. Link de pharmacologia, Beat. Hegel de logice et de philosophiae historia; Ill. Wiegmann de zoologia, Ill. Ermann de lumine et calore et de physice universali; Illustr. Hecker de pathologia et therapia speciali, Illustr. Fr. Hufeland de pathologia generali; Ill. Osann de materia medica; Illustr. Jüngken de chirurgia; tum per semestre interfui clinicis exercitationibus Illustr. Guil. Hufeland.

Hoc tempore praeterlapso, A. MDCCCXXXI almam Wirceburgensem Academiam per semestre adii, et his operam dedi legentibus: Illustr. d'Outrepont de arte obstetricia tam theoretica quam practica; Illustr. Textor de akiurgia et de fasciis, et praeterea clinicis usus sum, me-

dico duce Illustr. Schoenlein, chirurgico duce Illustr. Textor.

Berolini denique iterum apud Illustr. Marheineke, Rect. Magnif., et Beat. Rudolphi nomen professus, usus sum praeceptoribus Illustr. Rust, Barez, Bartels. Quibus omnibus viris illustrissimis, experientissimis, amplissimis summas, quas habeo, gratias ago.

Nunc examinibus praegressis in eo sum, ut, dissertatione more solito defensa, si gratioso medicorum ordini placuerit, utriusque medicinae doctoris gradum recuperem.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Morbus chronicus non primarius.

II.

Morbus chronicus modo in organismo debili.

III.

Nullus morbus acutus per se lethalis.

IV.

Morbus chronicus aut exitum in morbum acutum aut in mortem habet.